



16

DISSE^TAT^O EPISTOLICA
DE
**TITVLIS
ET ADQVIRENDI MODIS**

QVA

VIRO CONSULTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

**IOANNI HENRICO
ALTERMANN**

CANCELLARIAE ET CVRIA^E GVELPHERBYTANA^E SECRETARIO

HIVVSQUE CONSULI

PATRI VENERANDO

**DIEM NATALEM
SEPTVAGESIMVM NONVM**

GRATVLATVR

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS
IOANNES AVGUSTVS ALTERMANN.

HELMSTADII
TYPIS DRIMBORNIANIS MDCCCL.

Ke 3424



VENERANDE PATER
OMNI OBSEQVIO PER TOTAM VITAM
COLENDE,

Cum abhinc quinque annis Brunsuigam studio-
rum causa profecturus a TE discederem, vix
sperare poteram, quod hodie, D E O sit gra-
tia ! ex voto mihi contigisse laetus video, TE se-
nectute non vulgari insignem adhuc incolumem
viuere ; magnum sane mihi praesidium. Quod gau-
dium meum, tot tantisque TVIS beneficiis ob ocu-
los versantibus, pro amore TVO vere paterno in me
collatis, leue esse eo minus potest, quo magis eius
origo singularis deprehenditur. Et haec sola, quae

A 2

hodi-

hodierno diei originem debet, animi adfectione du-
etus diem natalem feliciter redeuntem publice **TIBI**
gratulari audeo, nec amplius vota priuatim suscepta
sufficere arbitror. Quare commentationem meam
TE confido improbaturum non esse, tum virium te-
nuitatis, tum piorum pro salute **TVA** votorum, me-
morem. En me, **PATER VENERANDE & CA-**
RISSIME, plane **TVVM**, ad quemuis nutum, quod
quidem iam **TIBI** debeo, paratissimum! Sic **TIBI**
de me velim persuadeas, vt nihil mihi magis credas
curae esse, quam vt **TIBI** me gratum praebeam,
TVIQUE obseruantissimum. Pergat **TIBI** fauere
DEVS O. M. ac per longam seriem annorum **TE** vi-
uum adhuc & prosperum esse benigne iubeat! Ita
vale, mi **PATER!** si amore **TVO** & in posterum
me amplecti **TIBI** placuerit, optime de me actum
putabo: quod vt facias, vehementer **TE** etiam atque
etiam rogo. Scrib. in Iulia Carolina IV. Kal. Nouem-
bris anno MDCCL.

§. I.



§. I.



N on poenitebit per totum fere ius se diffundentem de titulis & modis doctrinam , in qua multa parum accurate , non pauca obscure , tractari solent , paulo altius repetere. Ad ius in re acquirendum titulus & modus acquirendi plerumque requiruntur : prior *causa* vocatur in iure nostro , l. vn. pr. & §. I. D. pro suo , pr. I. de rer. div. §. 40. 44. I. eod. l. 31. D. de adqu. rer. dom. sed demum modo , vti dici assolet , interueniente , adquisitio iuris in re ex regula absolvitur , §. 12. 17. 18. 47. I. de R. D. l. 20. C. de pacis . Nunc de singulis breuiter videamus .

DE TITVLIS.

§. II.

TITVLUS est *causa* , quae vi legis cuiusdam efficit , ut alicui volenti res vel ius in re adquiri possit , vel ius ad

A 3

rem

rem re vera adquiratur. Quae causa efficiens esse reputatur vel α) qualitas quaedam externa ipsius rei acquirendae, puta, quando res est nullius; cuius tamen acquisitionem leges restringere solent, vel β) verus priuati rem habentis consensus, ita quidem datus, vt leges praescribunt, vel γ) fictio consensus a legibus facta in certis casibus; legis autem fictio idem in casu ficto efficit, quod verum, vel δ) amissio iuris & rei, sive certae, sive omnium, ob delictum.

§. III.

1. His praestructis in definitione consideranda subsistit. *Causam* dixi titulum cum ipsis legibus, v. §. I. quia efficit, vt acquisitione locum possit habere. Quod cum fiat vi certae legis & lex efficiat, vt talem titulus effectum producat; ista lex omnino causa acquisitionis remota est.

2. Per *Medium* non facile titulum definiuerim; nam proprie loquendo medium est, quod ad finem quendam obtinendum adhibemus. Quanam autem, quaeso, ratione asseri potest, statum illum rei, quo est nullius; vel in titulo pro herede consensum defuncti, me forsan inscio datum, a me adhiberi, vt ius consequar, me nihil ad hoc conferente? At medium quoque vocatur, praesertim in vita communi, quocunque ad aliquid consequendum facit, & quo inter veniente alia res demum existit vel evenit! Concedo, & ita causam medium esse effectus, non nego.

nego. Cum autem improprie ita dicatur, & prior significatus saepius ac ille in scientiis supponatur; ab ambigua voce, nec tituli ideam satis exprimente, abstinentum potius in definitione esse putauerim, & tantum per modum corollarii dicendum, titulum esse medium rei adquirendae, modo tamen adquirendi adhuc plerumque concurrente.

3. Deinde in definitione tituli *consensum* adquirentis requiro: nemini enim aliquid inuito obtruditur & leges eatenus solum dicunt titulum causam acquisitionis, vt, si quis rem adquirere velit, tunc licet. Praeterea titulum & modum ad adquirendum aliquid sufficere, dici non posset, neglecto in titulo adquirentis consensu.

4. Porro distinguo inter rem ipsam iusque in re & inter ius ad rem. Modus enim adquirendi non requiritur ad constitutionem iuris ad rem; titulo vero iusto opus est etiam in iure ad rem, cum quaelibet adquirendi via a legibus minime adprobetur. Vbi autem modus adquirendi in adquirendo iure in re cessat, ex legis dispositione immediata suppletur & adesse fingitur, & tunc quoque titulus efficit, vt adquisitio permittatur.

5. Sed cum HEINECCIO in *El. ad I.* §. 339. titulum in genere ad instar definitionis *causam dominii transferendi remotam* non recte dici arbitror. Nonne ita posset ipse consensus adquirentis intelligi? Nonne legislatoris voluntas? Neque circa ius in re solum, sed etiam circa ius ad rem, titulus versatur. Posse tamen, si ex antecedentibus

bus satis determinata & circumscripta notio sit, per modum corollarii ita adpellari, nemo facile negabit.

6. Alia taceo, v. g. SCHILTER ad I. de usucap. ita titulum explicat, quod sit *causa & negotium tale, quo mediante alias a vero domino alienante statim adquiratur*. Admodum obscura est definitio, idque unum monere sufficiat, per titulum non semper aliquid *statim* adquiri, sed plerumque accedente modo; nec semper adest *dominum* alienantem.

§. IV.

Tituli dantur varii, vt *pro herede*, quando vel α) defunctus dominus de re in me transferenda in ultima voluntate vel pacto rite disposuit; vel β) ob nexum, qui inter me atque illum intercessit, bona eius ex lege mihi cedunt; talis est consanguinitas, raro affinitas, item vinculum coniugale, unde defuncti consensus presumptus enascitur atque fictus; vel aliud quocunque vinculum, v. c. inter collegium & membrum eius, quod interdum legibus adprobantibus facit, vt bona, deficientibus consanguineis vel coniuge, fisco alias acquirenda, huic collegio cedant. In his casibus non raro solus fictus adest consensus, imputet sibi dominus, quod non ipse de bonis legitimis disposuerit. Quando vero bona eius plane vacantia sunt, in quae priuatorum nemini ius competit; in fiscum rediguntur, cum nihil aequius dici possit, quam res

res in quas priuati ius non habent, non in solius cuiusdam priuati, sed in communem salutem, verti. Et tunc titulus proprie est *pro vacantibus*, & adquisitio rei nullius restricta; in erexitis vero titulus continetur in delicto. Ceterum parum refert, vtrum generaliori adpellatione titulus comprehendatur, an peculiari; vnde euenit vt nunc plures, nunc pauciores numero, tituli deprehendantur. Semper ad leges respicias, & num adsit in casu proposito titulus, nec ne, statim adparebit.

§. V.

Titulus iustus est, qui legibus est conformis; si minus, vocamus iniustum, qui ideo ex iis, quarum respectu iniustus dicitur, legibus titulus plane non est, licet ex nonnullorum sententia verus titulus videatur, cum in errore versentur. Vnde in genere de titulo loquentes illum intelligere solent, vt solum efficacem; non hunc, & ita titulum & modum ad transferendum dominium sufficere docent. In qua iusti & iniusti adpellatione, vt semper, ita & in titulo, ad certas leges respicimus, & quidem, quibus illi, de quorum adquisitione sermo est, obstrin-guntur. Titulus v. c. pro lusu iure Rom. est iniustus, ho-dierno iure non vbiique est. Tit. pro raptu aliorum quam hostium intuitu apud nos vt iniustus reprehenditur: apud multas barbaras gentes alia rei est facies; & ita porro.

B

2. Haf-

2. *Habilis ut transferendum dominium titulus est, ex quo possimus dominium adquirere; inhabilis, ex quo non possimus, quamvis aliud forsitan ius in nos deuoluat.*

3. *Titulus onerosus est & lucratius, prout adquisitio vel cum onere coniuncta est, vel non.*

4. *Superesse videtur diuisio in titulum remotum & proximum, ille qui iuris in re adquirendi iustam causam sifit; hic qui alium supponat nec ad illud adquirendum sufficiat, qualis e. g. est pro domino, possessore. Ita in libello causam vel titulum iuris in re proximum & remotum edere suadent; recte quidem, sed titulus iste proximus non est proprius titulus vel causa, qua re ius in re competit. Est modo qualitas, sub qua quis aliquid facit factique suscipiendi, dummodo iuris praetensi possit esse legitimus effectus, iusta causa & titulus, licet ius in re quomodocunque adesse inferat, deficiente tamen in titulo illo iustae eius adquirendi, siue ratione ipsius facientis, siue alias cuiusdam, v. c. mandantis, causae demonstracione. Quamvis igitur causam iuris in re non commonestret; cum tamen olim quilibet character impressus, quaevis inscriptio, dicta fuerit titulus: non mirum est, quod quilibet qualitas, sub qua aliquid sit, quaeque facti suscipiendi, v. c. actionis contra alterum instituendae, fructus a fundo separandi, iustam causam continet, titulus dicatur. Et ita tituli pro mandato, pro suo, pro herede cert. intellegi debent.*

DE

DE MODIS ADQVIRENDI.

§. VI.

Nunc ad MODVM ADQVIRENDI me conuenio, quem dico esse omne illud quod efficit, ut res vel ius in re alicui ex titulo quodam iam re vera adquiratur. Vox Medii non admodum apta videtur per ea quae supra de titulo disputauimus, & non semper ipsi eo consilio modum adhibemus, v. g. in accessione, praescriptione. Modum locum habere tantum in re ipsa, vel iure in re adquirendo, supra adnotaui. Sed qua re tituli in eius definitione meminerim? quaeri poterat. Scilicet, modus non est sola causa acquisitionis, sed concurrens cum titulo; & hinc est quod modum per causam dominii adquirendi proximam cum HEINECCIO c. l. non definierim, cum non sola sit causa, & titulus forsan causa remota; sed concurrit titulus, l. 31. pr. D. de adq. rer. dom. Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio aut aliqua iusta causa praecesserit propter quam traditio sequeretur. Ambigua etiam est haec notio, v. §. III. n. 5. & axiomati magis, quam definitioni similis. Porro, idem illud, quod titulo accidente modum constituit, sine titulo non est modus, v. c. actus dandi rem de manu in manum; qua re titulus merito supponitur. Adieci: Iam re vera, cum per modum dominii acquisitione absoluatur, v. §. I. Idem sibi vult b. BOEHMER. ad D. tit. de adq. rer. dom. dum

B 2

per

per illum immediate aliquid adquiri, recte docet; simul autem Medium quo mediante fiat acquisitio, obscure dicit.

2. Quidnam vero illud est, quod modum proprius constituit? Esse solet motus aliquis, & in specie nonnunquam actus humanus, raro sola huius omissione; de quibus paulo post plura.

3. En tibi igitur inter titulum & modum discriminem. Ille infert possibilitatem moralem acquisitionis, vnde plerumque antecedit; per modum iam in continentis res nostra fit: tituli ratio magis est idealis; modus consistit in motu quodam & facto, raro in sola facti omissione, conf. §. X. titulus etiam circa ius ad rem versatur; non modus.

§. VII.

1. Commodo diuiditur modus in *legitimum* & *illegitimum*, ille & per se legibus conformis est, & iustum supponit titulum. Ita solus alterius actus plantandi non est nobis modus acquirendi legitimus; conditio, s. *ratio* radices agere, accedere debet.

2. Diuidunt quoque modos in *iuris gentium* & *civili*, legibus ipsis praeeuntibus, §. II. I. de rer. diu. & I. I. pr. ff. de adq. rer. dom. Illi habentur *occupatio*, *accessio*, *traditio*: qui tamen modi apud nos non pauca iuri ciuili debent; & posterior ex iure nat. ad translationem ipsam non est necessarius. In his praecipui sunt: *praescriptio*, quatenus iuris nat. non est, *aditio hereditatis*, *agnitio bonorum*

norum possessionis], atque fideicommissi vniuersalis restitu-

3. Denique modus solet diuidi in *originarium & deriuatium*. Ille supponit, rem adquirendam esse nullius; hic, rem istam tempore acquisitionem immediate anteecedente dominum habere, a quo in nos deuoluatur. Quod quidem vi vocis conuenire videtur. Ita vero occupatio non simpliciter ad originarium pertinet, cum in bellica non res adsit nullius. Si itaque & hanc ad originarium referas, modi originarii notionem esse oportet, ut sit modus, vbi cuiusdam proprietarii in acquisitionem nostram consensus attendendus non est: & tunc accessio, quae ex priori notione etiam ad deriuatium spectat, & solum secundum quid originarius modus dici solet, simpliciter ad originarium modum referenda erit.

§. VIII.

OCCUPATIO est modus adquirendi naturalis, qui in adprehensione consistit, ex tit. pro re nullius vel pro hostili. Adprehensio est declaratio animi rei nobis habendae, in tota re adquirenda per factum congruum, quo in potestatem scil. nostram redigatur, ita suscepta, ut plenos dominii effectus in re adquirenda iam exercere possimus. Ill. A LEYSER in Med. ad ff. Sp. 439. M. I. redactionem in potestatem necessariam esse, neque adprehensionem sufficere, dicit. Recte quidem, si non congruam adprehensioni no-

tionem cum nonnullis tribuas. Sed re vera illam redactionem adprehensio continct: iam yoci inest, vt res mobilis manu capiatur & sic dominii effectus exerceantur, vel saltem exerceri possint. Quod si ad reliquas res adplicetur, tali facto indicat opus esse, quo idem efficitur. Idem circa bellicam obtinet; si vero res hostibus erupta vnius conciuium fuit, antequam ab hoste in praesidia redacta sit, in ciuium fauorem ac solatium, praeferunt cum maior adhuc rei recuperandae spes fuerit, ex legis dispositione hostilis plane non habetur, l. 5. §. 1. ff. de capt. & postl. Re itaque hostili deficiente, nulla, quaecunque sit, eius adprehensio ob id ipsum effectum habere potest, ne deductio quidem in praesidia nostra. Re vera autem res hostilis iam facta & ab hostibus solum ob vim maiorem, contra quam nec praesidia valent, amissa est. Nunquam enim ad dominium id requiritur, vt contra quemuis tueri possumus; alias nemo fere rerum suarum foret amplius dominus. Quare dominus rei esse quilibet potest, licet vi maiori resistendi potestas deficiat.

2. Species occupationis sunt *venatio*, *inuentio*, *occupatio bellica*, quibus haud immerito adiungas *capturam stricte dictam* & *occupationem stricte dictam*, de occupacione accessoria, a Titio adprobata, v. §. XII. n. 4.

3. *Venatio* est ex mente iuris Rom. *occupatio ferarum bestiarum ex tit. pro re nullius*. Quam hodie longe se aliter habere, omnes fatentur.

4. *Inuentio* est *occupatio rerum inanimatarum mobilium*

lium ex titulo pro re nullius. Haec quoque species nostris moribus tantum in parui momenti rebus occurrit. Ad inuentionem referendam arbitror *thesauri* adquisitionem, consentientibus BERGERO in oec. iur. L. II. T. II. §. 13. HEINECCIO ad I. §. 351. & aliis. Titulus est pro re nullius; quem procul dubio supponit: non adest, qui dominium docere possit. Sed hic euenit, quod etiam alibi, vt res ista nullius per specialem legis dispositionem non, quod probe adtendas, cuicunque adquiri possit, sed, cui leges hoc tribuerunt, domino fundi & certa ratione inuentori atque fisco, vel forsan huic soli per speciales leges. Specialis pro thesauro dici titulus posset. Si vero ob magicas artes adhibitas fisco cedat, ob delictum adquisitio eius amissa fisco obuenit. Modus consistit in adprehensione, antequam non adquiritur, neque priori fundi domino, neque ob id ipsum eius heredibus. Itaque inuentionis natura hic plene se exserit. Fortuita adquisitio locum non obtinere potest, quod Struuio aliisque visum, deficiente tamen accessionis notione, vti tum ex eius natura in genere, tum praecipue ex adquisitione, quae a fisco vel detegente fit, perspicitur. Consentient leges ad inuentionem referentes, §. 39. I. de R. D. l. 31. §. 1. & l. 63. D. de adqu. rer. dom. l. 1. C. de thes. Nec obstat, quod non cuilibet inuentori simpliciter adquiratur, cum adquisitio eius restricta. Porro adquisitus non accrescit fundo aliue rei singulari, sed vniuerso adquirentis patrimonio, conf. §. IX. Vnde nec dimidiam, domino fundi a detegente relinquendam, ad accessionem
a b.

ab b. BOEHMERO ad D. L. XLI. T. I. §. 31. recte referri colligitur; notio eius deficit & detegens totum thesaurum occupare nequit, qui ideo res nullius permanxit; & si totum possideat, reddere dimidiam debet domino adquirendam.

5. *Occupatio bellica* est occupatio iurium, rerum & personarum hostilium ex titulo pro hostili. Titulus non est pro re nullius; quis quaeso sibi persuaserit, res in hostium patrimonio constitutas nullius esse? Sed consensum hostium in talibus rebus adquirendis adtendere non teneamus, cum ius nobis competit illos coercendi & ad praestanda nobis quae debent cogendi. Fictione, quam supponit HEINECC. El. iur. germ. Tom. I. Lib. I. §. 87. nec iure nat. nec iure hodierno est opus, nec in legibus Rom. agnoscitur. Confusam vero rei nullius notionem immiscet IDEM ad I. §. 348. lege tamen i. §. 1. ff. de adqu. vel om. poss. ad quam prouocat, nihil aliud inferente, quam quod dixi, res hostiles a nobis recte posse adquiri; consensum cuiusdam proprietarii ut adtendamus necesse non est, per inde ac in re nullius, ex alio tamen fundamento. Eandem sententiam ab Ill. A LEYSER in Med. ad ff. Sp. 439. M. i. iam adprobatam video.

6. Tres istae occupationis species in omnium ore versantur; sine dubio autem quaedam omittuntur. Nonne occupari possunt bestiae, quae sunt nullius, nec tamen ferre, forsan quia tenerae adhuc vel alias mansuetae? & nemo nos tales venari facile dixerit. Quod iam adtendisse videtur

detur III. A LEYSER dum omnia animalia a natura fera esse in Sp. 440. M. I. dicit, quod ipsum nobis non obstat; tenerae adhuc aetatis esse possunt, vulnerata & laesa, imo mansueta ab aliis derelicta: quae omnia sine quadam vi, persecutione & infidiis capiuntur, vt ideo venationis vox apta non sit. Nonne porro res nullius inanimatae immobiles occupari possunt? Prior species *captura in specie*, (voce *capturae* leges ipsae hic vtuntur, v. tit. I. de rer. div.) posterior *occupatio stricte dicta*, dici commode posset.

§. IX.

I. ACCESSIO est modus adquirendi, quo res quae-dam nostra, vel minimum forma nobis auctoribus rei data, re quadam quae iam nostra non est ex tit. pro re nullius vel praesumto fictoque domini consensu augetur. Vis vo-cis requirit, vt rei cuidam nostrae incrementum accrescat, v. c. nata in flumine insula fit pars fundi, vt eo nunc vendito illa simul in emtorem translata intelligatur; id quod fit per ipsum modum; in aliis modis aliter res se habet. Quidnam autem in accessione modum constitutat, in sin-gulis speciebus breuissime poterit exponi. Vulgo in acces-sionis definitione vocem *Accedere* obscure retinent: quod quidem non facit HEINECC. l. c. sed illam, nescio quo fato seductus per *Ius* definit, & per *rem nostram* ipsum in-telligit patrimonium, vt ex §. 376. apparet, quod dici ne-quit. Nam & per occupationem & traditionem illud au-

C

getur,

getur, licet non simul per solum modum certa quaedam res nostra.

2. *Accessio* est vel *naturalis*, quae fit ope solius nat. vel *industrialis*, quae solo facto humano fit; vel *mixta*, vbi natura & factum humanum concurrunt.

§. X.

1. Ad naturalem pertinet *insulae ortus, alluvio, co-alitio, alueique a flumine derelictio* facta. Num foetura quoque, vti vulgo statuunt? Ego quidem non putauerim, subest solus effectus dominii vel alias iuris, v. g. *vitusfructus*. Nam *partus antequam edatur mulieris portio est vel viscerum*, l. 1. §. 1. ff. de ventre insp. Et foetus est in pecudum fructu, l. 28. pr. ff. de usur. & fruct. Hinc est, quod agni & boedi & vituli statim pleno iure sint b. f. possessoris & *vitusfructuarii*, si de his quaeritur, §. 19. I. de R. D. I. 6. ff. de adq. rer. dom. Vti ergo dominus fundi ad fructus lucrandos nec singulari tit. nec modo indiget: ita neque hic femellae dominus: Ex tit. & modo, qui iam adfunt, non integrum iam dominium competeteret, si effectus deficeret percipiendi fructus sibique habendi foetus; dominio toto adquisitio, vel etiam *vitusfructu* cet. haec quoque pars simul adquisita est. Cui sententiae ipsa naturalis rerum conditio fauet; foetus semper, ex veriori quidem phisicorum doctrina, in femella iam adfuit ac latuit; fructus in arboribus aliisque plantis non minus: incrementum mo-

do

do ex nutrimentis naturalibus capientes paulatim euoluuntur; ideoque in fundo & femella adquisitis iam adfuerunt atque simul adquisiti sunt. Si vero noua semina plantasque fundo adiicias, in illis fructus futuri etiam iam latent & ad dominum pertinent, & de fundo adquisito dispositio non minus domino competit. Quare noua adquisitio deficit, vi alias cuiusdam iuris, v. c. dominii, iam nostri sunt. Et ad accessionem non referendam foeturam esse, cum exclusus femellae foetus, nullo licet domini facto interueniente, matris pars non maneat; (vti nec fructus partes fundi post separationem) iam docuit **VINNIVS** qui peculiarem tamen modum ibi statuit, ad §. 19. I. de R. D. Nec modus esse potest exclusio partus, cum & ante illam adquisitus sit. Ecquis enim impediet dominum femellae foetu ad anatomen v. c. vti, antequam naturaliter sit editus? Et licet masculus femellam impraegnans huius domini non sit; masculi tamen dominus foetum non adquirit, l. 5. §. 2. ff. de rei vind. non magis quam si quis operas in agri alieni cultura collocauerit, vt fructus prouenerint: tunc in re ipsa ius non competit. Nec leges unquam ad accessionem ut modum peculiarem foeturam retulerunt, sed decepti interpretes videntur verbis *Eadem iure in §. 19. I. de R. D. & l. 5. §. 7. ff. de adq. rer. dom.* connectentes illa simul cum inuentione, captura hostium, de quibus paulo ante sermo erat, & ita singularem in foetura adquirendi modum nat. deprehendentes. Sed verba ista solum spequant ad antecedentia: *Iure nat. iure gentium*, vt, foeturae

turae acquisitionem naturalem esse dominii effectum, tantummodo doceatur.

2. In **INSVLA** in flumine nata, iure Rom. vicinis in littore praediis acquisita, tit. est vel pro re nullius, vel faltem consensus domini particularum terrae factus. Modus est ipse motus quo oritur. Male ad occupationem refertur, α) factum quo adquisitio intenditur, s. adprehensio, deficit, β) accrescit certae rei, praedio. Est insula pars aluei denudata, qui ipse vicinorum est & solum quatenus flumen illum occupat, publicus a Romanis dicitur, **VINN.** ad §. 22. *I. de R. D. n. 6.* Et insula ideo vicinis praediis tribuitur, quia ex eorum particulis ab aqua in unum locum coniectis, suboriri solet, & ideo vicinorum manere aequum erat. Noua tamen intuitu huius vicinitatis adquisitio, quia terra ista iam erepta ipsi erat & facile aliis potuisset vicinis praediis adpelliri, nec eius dominium demonstrari amplius poterat. Eadem ratio est **ALLVSIONIS**, qua paulatim & latenter terra fundo alieno adiicitur. **COALITIO** est accessio, qua accrescit terra, vi fluminis semel & simul abrupta. Consistit modus in ipso adpulsi ad fundum ac in τῷ cohaerere cum illo, utque arbores radices ibi egerint. Tit. respicit ad consensum factum, ne res pendantur separatione. In **ALVEO** derelicto modus est ipsa derelictio eius a flumine facta, tit. est pro re nullius, cuius adquisitio hic solum ad vicinos iure Rom. spectat. Naturalis igitur accessio semper consistit in motu quodam in anima-

animato. Et iuris Rom. placita, nisi lege vel consuetudine aliud inualuerit, omnino hodie sequimur.

§. XI.

1. Ad *industrialem accessionem spectat specificatio, adiunctio, commixtio, confusio*; & eodem iure plerumque *satio*, de qua & *plantatione infra*.

2. **SPECIFICATIO** est *accessio*, qua res aliena adquiritur illi, quo auctore noua forma bona eius fide rei data est, a qua ad priorem reduci nequit. Quatenus enim ipsum actum, quo noua forma producitur, in genere denotat, consideranda hoc loco non venit, sed tantum quatenus est modus. Titulus continetur in consensu, plerumque ficto, ne res perdantur, vtque ad eum perueniant, cui maxime videntur utiles. Modus consistit in ipso illo specificandi actu. Quamvis vero proprie ad accessionem pertinere non videatur, cum vi eius non rei corporali, sed formae, aliquid adiiciatur; quoniam tamen ab acquirente forma proficiscitur & huic res aliena accrescit, adeoque nostrum augetur alieno; ad accessionem optime referenda censetur. Disf. VINN. ad §. 25. I. de R. D. & ad occupationem refert. Sed addo: α) rei nostrae aliquid non solum motu inanimato accedit, sed & factu humano, β) factum hic non animo acquirendi suscipitur, si per illud re vera *adquisitio* fit & b. f. adest, hinc adprehensio, &c, cum nec

C 3

res

res hostilis vel nullius supponatur, occupationis notio, deficit; γ) certo euidam, formae, aliquid acriescit.

3. Dubium circa definitionem suboriri posset, quod *TITIVS in iur. priuato Rom. Germ. I. III. c. V. §. 31.* & alii, si specificans materiae simul pro parte sit dominus, simpliciter rem adquiri doceant, licet ad priorem formam reuerti possit; quod inferre §. 25. *in f. I. de R. D.* videtur. Sed salua res est, verba ultima necessarium modo consecutarium regulae paulo ante datae exhibitent. Si enim quotiescunque res ad priorem formam reduci nequit, specificans suam facit; vt tunc quoque fiat necesse est, si & formam rei dedit, & materiae pro parte est dominus: nam tunc casus, quem regula supponit, omnino adest. Quod sibi volunt verba; *Non dubitandum est,* & exempla data de forma, a qua reduci nequit res, idem loquuntur. Sin vero mens esset, quam disf. supponunt: vt regulae exceptio proponatur; alia sine dubio exempla, vnde adpareat, prolata fuissent. Nec particulae adiectae, quae oppositum mutationemque regulae suadeant. Itaque cum a dispositione expressa sine expressa restrictione vel alias necessaria recedi non debeat, nec in l. c. quidquam a regula data diuersum dispositum sit, regula ista plane subsistit; vbiique ad specificantem respiciendum, qui tamen rem tunc solum adquirit, si forma reduci non potest; non, si potest, licet ille pro parte materiae dominus sit. Tunc ad materiam adtenditur, & vterque materiae suae dominus manet, competente vindicatione. Nec maior, quam si in

mate-

materia propterea aliena reductio fieri debet, iniuria existit.
Consentit VINN. ad §. 25. I. de R. D. n. 6

§. XII.

A DIVNCTIO ex iure Rom. est *accessio industrialis*,
qua res quaedam nostra principalis re aliena ut accessoria
augetur, a qua non amplius, saltem sine laesione, separari
poteſt. Hodie bonam fidem requiri puto, de qua re
 infra. Adiunctionis autem vox ex definitione merito ex-
 pungitur. Reete' HEINECCIVS hoc refert *inclusionem*,
ad ferruminationem, cui adplumbaturam addo, *in texturam*,
inaedificationem, *scripturam*, *picturam*, quas alii ut di-
 uersa accessionis genera considerant, cum potius verae sint
 adiunctionis species. Satio quatenus est *accessio mere in-*
dustrialis, v. §. 14. ad illam recte referri non minus potest:
 ipsae leges similitudinem inter sationem atque scripturam
 & inaedificationem reperiunt, §. 32: 33. I. de R. D. adiun-
 ctionisque idea perspicue se offert. Interdum etiam, ra-
 rius tamen, *plantatio*, si quis scil. in fundo alieno sciens
 plantauerit, v. §. 14. *inf.* Conf. §. 32. I. de R. D. Titu-
 lis in consensu praesumto ac ficto se fundat; modus est
 ipse aetus coniungendi. Sed scriptura & pictura specifi-
 cationis species esse videntur! Cum vero ipsa charta & ta-
 bula non mutentur, nec alia partium dispositio proueniat,
 sed alterius solum litterae accedant, vel imago, ita ut nec

tota

tota exterior facies immutari soleat; cum porro nec frumenti excusso, manente eadem granorum specie partiumque dispositione, & integumento solum detracto, ad specificationem referatur, *I. 7. §. 7. D. de adque rer. dom.*: leges nostrae nouam hic formam non deprehendentes ad rem principalem respiciunt. Quaenam illa sit, iterum ex legibus in dubio diiudicatur, quae illam ponunt in scriptura chartam esse, in tabula imagine ornata picturam, non ex pretio rem principalem plerumque aestimantes, *§. 26. I. de R. D.* ibi: *Licet pretiosior sit purpura; sed ex eo, cuiusnam rei usus fine alia esse possit, v. c. aedificii non sine solo, nec litterarum fine chartis, cf. I. 9. §. 1. ff. de adqu. rer. dom.* in pictura autem regulam istam negligentes ob per magnum eius pretium ac fauorem. Eandem in scriptura sanctionem natura rei & aequitas postulabant, quam hic plerique hodie sequuntur, iuris patrii principiis suffulti v. VINN. ad *§. 23. I. de R. D. HEINECC. El. i Germ. T. 1. L. II. §. 93.*

§. XIII.

COMMISSIO est accessio, quae fit in plurimum rebus aridis, sine dominorum, unius saltem, consensu ita mixta, ut separari facile nequeant. Vocem: *Miscere*, satis clamram & aequipollentibus clariorem existimo. Si omnium fiat consensu, reuera permutatio est, quia vere dominus consentit, quod & de confusione dicendum. Siue autem res

res aridae casu, siue solius miscentis consensu, misceantur; ex iure Rom. communes non sunt, quilibet res suas retinet, §. 28. I. de R. D. Reuera tamen communio adest, cum res separari nequeant, ill. a LEYSER Sp. 449. M. I. & vterque res quasdam alterius adquirit, licet suarum quasdam perdat, nam accessio non semper gratuita est. HEINECC. vero El. i. Germ. c. l. ex aequitatis & iuris Germanici ratione, vnius facto alteroque inconsulto commixta relinquenda esse commiscenti docet refuso pretio, si alter nempe rem relinquere malit.

§. XIV.

CONFUSIO est accessio, quae fit in plurium rebus quocunque modo fluidis ita, ut separari nequeant, casu mixtis sine dominorum consensu, aut etiam in fluidis eiusdem materiae facto vnius vel quorundam. Difficilis eius videtur a specificatione distinctio, sed ita puto distinguendum: si omnium fiat consensu, est permutatio, vti iam obseruauit §. XIII. Si vero sine consensu dominorum casu facta sit mixtura illa, ad confusionem vt peculiarem accessionis speciem plerumque pertinet. Nam res tum communes fiunt, §. 27. I. de R. D. vterque quasdam alterius res accipit, cum separari singulae nequeant. Si ab uno facta, HEINECC. ad I. §. 371. tribuit confundenti in genere, qui tamen casus, quotiescumque diuersae materiae adsint, vt noua oriatur species, v. g. mulsum, ad specificationem spectat, vnde c.

D

§. 27.

§. 27. I. eius plane non meminit, mulsumque ac emplastrum productum ad specificationem in §. 25. I. eod. referuntur. Quare si materia separari nequeat, specificantis est, l. 5. §. 1. ff. de R. V. Quae tamen lex obstat videtur; sed ictus falso, in metallis confusis materiam manere supponit, nec ut in mulso commisceari. Revera ita commiscetur, ut arcte particulae cohaereant, & vbi v. g. partes auri sunt, etiam proxime ad sint partes aeris, sicut in aliis speciebus. Quare vti aurum & argentum commixtum nouam materiam, electrum, constituant, §. 27. I. de R. D. ita & aurum cum aere confusum suo modo unam efficit materiam. Si denique eiusdem materiae fluida sint, communes ex iure Rom. esse censentur, l. 3. §. 2. ff. de rei vind. conf. l. 5. §. 1. eod. hodie vero commiscentis volente altero fine dubio erunt, cum talis mixtura alteri vel reliquis omnibus utilis esse non soleat.

§. XV.

SATIO ET PLANTATIO ad species accessionis mixtae referri solent; recte quidem plerumque posterior, vbi & coalitio necessaria, l. 7. §. 13. de adqu. rer. dom. satio non indistincte, cum praeter ferendi actum, ad quem, credo, natura non concurrit, nihil leges requirant ad acquisitionem, l. 9. pr. eod. §. 32. I. de R. D. licet ad procreandam ex semine plantam natura sine dubio opus sit. Unde potius industrialis est accessio. Sin vero femina maiu-

mainuscula paucioraque sint, ut commode possint e terra iterum erui, ante coalitionem non cedere fundo arbitror, paritate rationis in plantatione, imo & aliis accessionis speciebus, commotus. Et tunc demum est accession mixta Si vero quis sciens in alieno solo plantauit & semina sparsit; haec vt & plantae ob culpam eius statim solo ex iure Rom. cedunt arg. §. 29. inf. I. de R. D. Et tunc mere industrialis tum satio, tum plantatio est.

2. Addunt perperam fructuum perceptionem; vero enim domino singularis modus opus non est, cf. §. X. n. 1. m. f. possessor fructus non adquirit; b. f. possessorem, qui consumtos adquirit, §. 35. I. eod. huc pertinere aiunt, cum tamen iure ficti dominii suos faciat. Nam fictum dominium effectus, quos leges tribuunt, eodem modo habet, quam verum. Itaque simul ac quis b. f. iustoque titulo, accedente debito modo, dominium fictum, rei sc. alienae, adeptus est; eius effectus, consumtos fructus retinendi, eo ipso iam adeptus, vti in vero ius fructuum indistincte acquirendorum. Quamobrem quod ad fructus adinet, loco domini paene esse in l. 48. pr. ff. de A. R. D. dicitur. Denique non obstat, quod leges sub eodem; vbi de modis agitur, tit. perceptionis illius mentionem faciant, cum & de donatione v. c. legatis aliisque loquantur. Neque accessionis notio respondet, cum non rei certae, sed toti tantum patrimonio, fructus illi consumti accedant.

§. XVI.

Quatenus bona fides in accessione attendenda sit? dis-

quiri meretur; multa hic obscure pertractata videntur,

orbi

D 2

nec

nec satis sibi inuicem leges conuenire. $\alpha)$ in *specificatio-*
ne b. f. necessariam esse, & alias rem penes priorem perma-
nere dominum, docet *I. 12. §. 3. ff. ad exhib.* Ratio qui-
dem legis, quod ex re aliena factum rectius prioris sit do-
mini, Sabini doctrinam sapere videtur, quae hic, media
recepta sententia, absolute adprobata non est; cum tamen
I. c. casum m. f. specificantis expresse supponat & §. 25. I.
c. t. eius in specie non meminerit; dispositio ista, concur-
rente nat. aequitate, procul dubio obtinet, cf. *VINN. ad c.*
§. 25. n. 2. β) in *adiunctione b. f. ex iure Rom. non requi-*
ritur; *§. 26. I. de R. D.* satis est euident, purpuram cede-
re vestimento, licet furto ablata sit; & solum contra ipsum
furem actionem furti & ad pretium petendum condicōne-
m furtiuam dat, ita vt si pretium a fure non liceat
consequi, a quolibet possessore id condicōne petere fas
sit: purpuram vero istam, vt rem extinctam, non posse
neque a fure, neque alio possessore, vindicari, sed tantum
condici. Idem sibi vult in pictura *§. 34. I. eod.* Concedit
quidem tabulae domino contra pingentem utilem actionem
vtque hic in m. f. constitutus ne impensam quidem petere
possit; sed tantum obtinet acquiescente pingente. Quem, si
velit, domino tabulae praeferri, vt rei principalis dominum,
nullum dubium est ob ipsum §. 34. c. Et in *I. 9. §. 11. ff. c.*
t. recta vindicatio huic permittitur, illi utilis solum. Si ve-
ro tabulae dominus in malam fidem inuehatur, furti aetio,
eoque ipso simul condicōne ad pretium consequendum, in
ipso §. 34. I. datur. Et rem ipsam restituendam non esse,

ratio

ratio §. 26. *I. eod.* demonstrat. Hinc VINN. ad c. §. 34. *I.*
n. 6. m. f. pingentem impensam perdere, in genere minus
 recte statuit atque rem principalem ab accessoria non satis
 distinguit. Qui hanc illi sciens rem esse alienam adiun-
 git, absolute perdit ex iure Rom. illius dominus accesso-
 riae simul dominus est: quod ut ita eueniat, sola pro-
 prietarii culpa efficit. Vnde qui sciens in alieno solo aedi-
 ficat, §. 29. *I. de R. D.* in aliena charta scribit, §. 33. *I.*
cod. materiam & impensam scripture ex iure Rom. amitte-
 tere; & eodem modo, qui in fundo alieno sciens seuit
 vel plantauit, non mirum est. Hodie quatentis alter ex
 ea re locupletior fit, restitutio pretii iniungi assolet. Do-
 minus autem rei principalis accessoriā, licet m. f. coniun-
 xerit, suam facit. Ergo ex iure Rom. b. f. in adiunctione
 non necessaria: hodie puto esse ex iuris can. & aequitatis
 principiis; ex illo quidquid non ex fide proficiscitur, s.
 certa persuasione de eo quod rectum est, peccatum reputa-
 tur; multo magis quod certae iniusti scientiae originem
 debet: & nos aliis m. f. nostra aliquid inuitis eripere, ae-
 quum dici nequit: potius alterum, refuso picturæ cet.
 pretio, totam rem si velit adquirere, aequitatis est, quia
 non in mala fide versatur suamque rem recte retinere vult:
 non, qui m. f. laborat. Ne dicam, medium vindictæ &
 satisfactionis per furti actionem apud nos cessare, & alibi
 etiam in hac doctrina a Rom. placitis, e. g. in scriptura,
 confusione, recedi, y) Circa commixtionem & confusio-
 nem non facile suborietur dubium; si alter pretium rei a

impis

D 3

com-

commisceente petit, hodie admitti solet: suum si vult retinere, tantum adiudicatur, quanti eius materia est, ex ipso iure Rom. δ) Et in satione pretio contentum feminis dominum, si separari a solo nequeat, esse oportet. Si possit, & coalitione opus fuerit, idem iuris est ac in plantatione. ϵ) In plantatione, si planta radices egerit, absolute solo ex iure Rom. cedere arbitror, ob eandem ac in aliis adiunctionis speciebus rationem, ne res per separationem laedantur & ut accessorium principale sequatur. Hodie si dominus plantam spreto illo periculo vindicare velit, omnino licet; nam periculum est ipsius, & quod planta ex alieno solo nutrimentum cuperit, ex sola domini huius soli culpa est. cf. n. β) in f.

§. XVII.

Disf. in genere circa accessionem *titius in i. priv.*
R. G. L. III. c. 5. §. 17. sqq. dum accessionem naturalem sub *occupatione accessoria* complectitur. Sed ab usu loquendi fecedit, ipsis legibus conformi, *l. 56. ff. de A. R. D.* imo factum illud adprehensionis, eoque ipso occupationis idea, deficit, & accessionis vox, cum minus principaliter aliquid adquiri, alii cuidam rei accrescens ut pars quaedam, aliter ac in aliis modis, ostendat, admodum est idonea. Idem c. l. §. 25. accessionem industrialem atque mixtam, ne forsitan dubium circa istam doctrinam moveretur, non modum adquirendi esse, sed viam tantum adqui-

adquisitionis, contendit, forsan, quia acquirens pretium refundere debet, conf. eius §. 27. Sed non omnis modus ex titulo lucrativo est, nec dominus rem alteri relinquere teneretur, si leges ibi peculiarem modum adquirendi non constituisserent; vel quia ibi non semper in solo facto humano consistit, conf. eius §. 9. quod tamen modi non nimis anguste concepti notio vera non postulat, imo ipse allusionem cert. occupationis accessoriae nomine ut modum agnoscit, conf. eius §. 17. 18. vel praesertim quia modus & titulus simul existunt, quod vero & sit in praescriptione. Et quare accessio magis erit sola adquisitionis via, quam traditio? cert. Omnino hic aliquid requiritur praeter titulum, & quo existente titulus ipse demum existit, ut tamen a se inuicem longe distent & diuersi sint: quare quaeso modus dici non debet? cuius idea perspicue se offerit.

§. XVIII.

I. Ad TRADITIONEM progredior, quae est *modus adquirendi*, quo dominus, vel qui in eius uilitatem de bonis illius disponere potest, ex vero suo consensu mediante facto humano, ex utriusque partis intentione eo nomine suscepito, rem vel ius in re in alterum re vera transfert. Ergo vera eius notio a praescriptione satis differt; modus ille in facto hominis consistit, & titulus est verus consensus, legitime datus. In venditione semper sub conditione ta-

cita:



cita : si pretium solutum fuerit alioue modo satisfactum, fieri, nec nisi hoc praestito dominium transferri, ex §. 41. I. de R. D. satis constat.

2. Datur vera & quasi traditio ; illa fit in rebus corporalibus : haec in iuribus per quietum exercitium peragitur.

3. Est porro vel vera , alio quidem ac priori sensu : vel facta , & haec a legibus interuenire fingitur , licet iam non interueniat . Ad veram refero etiam symbolicam , qua non res ipsa datur , sed res per signum loco eius datum in alterum transfertur ; & traditionem longae manus , quae est illa , qua res per demonstrationem in eius praesentia in alterum transfertur . Nam illae non minus verae sunt , quam quae fit quieto exercitio , inductione in fundum cet . vbique factum humanum vere ex praesenti tit. interuenit . Brevis manus traditio est traditio ideo facta , quia acquirens rem iam possidet , licet ex alio quam qui nunc supponitur tit. adque dominium inhabili . Factum enim illud dationis cet . cum iam interuenerit , repetere superfluum foret . Vti vero in genere quaelibet missio in possessionem & traditio vocatur , licet non conferatur ius in re , nec modus adquir . adsit : ita facta traditio vel brevis manus in genere potest dici , quae fingitur facta esse , quia is , cui dari ex praesenti tit. quocunque possessio debebat , rem iam possidet . Quae ideo modus adquir . non semper est , & in constituto professorio occurrit , quod cum pacatum sit , quo quis iam extit . ad dominium inhabili retinere rem incipit , qui antea exha-

ex habili ad id tit. possederat; & ius in re non conferat adeoque traditionem vt adquir. modum non admittat: ad breuis manus traditionem incongrue refertur, licet improprie dicta locum ibi habeat. Et si forsan ius hypothecae simul concedatur, illud vi pacti iam competit, non ex dicta traditione.

§. XIX.

1. PRAESCRIP TIO denique consideranda occurrit, Dico illam in genere *Modum adquir. quo rem vel ius aliquod consequimur ob alterius omissum per tempus quoddam usum iuris sui*, quo illam vel illud nobis antea denegare poterat. Ius quod adquirimus est saltem facultas denegandi alteri ius quoddam, quod habebat, & quo illi interdictio, quam nunc possumus suscipere, iure suo prohibere licebat. Ex denegatione vero ista commodum nobis oritur, v. c. ex denegato ob non usum priuilegio nundinarm, cum vicinorum, principis aliorumque interesse possit, ne valeat amplius.

2. Bonae fidei mentionem non facio, quia ex iure Rom. non necessaria semper est, nec m. f. potest ubique occurrere Fundamentum in omisso usu positum est, remotius in necessitate a lege imposita, rebus suis intra istum terminum extendi. Titulus hic est consensus alterius, saltem fictus. Modus ipse consistit semper in quodam alterius non usu & simul plerumque in rei & iuris nunc adquisiti possessione a

E

parte

parte praescribentis, quae vero non vbiique adest, & praesertim in stricte dicta saepe deficit, v. g. in praescriptione priuilegii nundinarum ob non vsum, accusationis criminialis: ibi praescribens nihil possidet; liber quidem v. c. ab accusatione fuit, sed ad hoc factum suscepit nullum, nihil possedit, neque ius putas liberationis illius possedisse, completa demum praescriptione adquisitum sine facto quodam. Quod praeter alios aduersus TITIVM l. c. L. II. c. 9. §. 32. obseruandum, qui ipse tamen concedere debet: *solan cef-
fationem eius, cui ius competit, aliquando sufficere..*

§. XX.

Diuiditur in *praescriptionem naturalem & ciuilem*. Illa complectitur immemorialem; haec praescriptionem longi temporis, temporalem & longissimi temporis. *Im-
memorialis est illa, in qua supponitur rei adquirendae vel
iuris possessio, vel saltem alterius non usus sui iuris, per
tantum temporis spatium, ut hominum memoriam excedat.* Quae merito appellari naturalis videtur, sed b. f. tunc in praescribente supponitur, iure nat. dolosum possessorem nunquam adiuuante. Non sufficiat iure nat. hanc praescriptionem esse, multi existimant non leuis auctoritatis viri; ex qua ratione, ego quidem non video. Ex iure nat. modo disquirere debemus: Quis potior iure sit, quis non sit? Ille quidem, contra quem ita praescribitur, allegare potest, se dominum huius rei fuisse vel potius mai-

res:

res: vel, se toto gaudere in re dominio, cuius tamen partem vel ius aliquod in illa, v. c. venationem in fundo, alter sibi afferat. Hic vero in quieta possessione constitutus est per tempus memoria hominum remotius; nec in casu posteriori opus consensus domini semper illi fuit, v. g. fundi; cum is excepta e. c. venatione potuerit transferri. Et licet alter dominus fuerit, hic ob illam praescriptionem satis tutus est, quia inde sequitur, vt vel expresse vel tacite maiores alterius consenserint; & si hoc non ita esset, sine dubio contradixissent possessioni. Quod attinet ad expressam translationem, salua illa possidens potest alia, ac per illam possessionem, probatione destitui, cum potuerit tum per administratorum, inimicorum aliorumque dolum & negligentiam; tum per belli, incendii & eius modi calamitates, documentis priuari, vel quia forsan de acquisitione rei & iuris nullum documentum fide alterius fretus eiusue negligentia impeditus composuit. Sin vero ob expressam translationem dominus possessionem non permisit; ex tacita vt permiserit necesse est. Nam ex ipso iure nat. tacitus consensus idem efficit quod expressus: & silentium, credo, in alterius rei nostrae usu per tantum tempus animum consentiendi satis, nec verbis expressis obscurius, declarat. Nam ius nat. verba non absolute requirit adeoque facta non minus mentem probare debent, nec factis homines consentire insolitum quid vel inauditum dici potest, vtraque sunt mentis nostrae signa. Et si quis e. c. verbis obligatur prout adsunt sibique imputare debet quod

E 2

alium



alium ac receptum sensum illis tribuerit; si porro obligati poenitentia postea superueniens alteri non nocet; in factis haec omnia eodem rigore valent. Praesumtio etiam pro eo militat quod ut plurimum contingit & homines actionum suarum conscientes esse credibile est. Quare qui tacite consentit vere consentit, non minus ac si verbis se obstrinxisset, nec recurrendum est ad praesumtiones, quae, consensu vero expresso vel tacito deficiente, cum nos tamen consentire probabile est, solum attenduntur. Hinc praesumtionem Leibnitii apud ill. A LEYSER Spec. 459. M. I. & b. I. CHR. CLAPROTHII im *Grundriss des R. der nat.* §. 262. quod homines ad alienationem proclives esse non soleant, non magni momenti reproto. Et si vel maxime factis specialibus alterius possessionem non agnouerit, solum tamen per tam longum tempus silentium consensum declarat. Non potuit quoque tantum, sed debuit contradicere; non necessarium est, ut rem illam habeat, potest derelinquere: nec dominia ideo sunt introducta, ut quis rem, qua ipse vti non vult, ceteris etiam, dum postea excludere ab illa intendit, possit eripere. Neque negligentia eius, vel maiorum, a quibus tamen non plus ac ipsi habuerunt, accipere iuris potuit, alteri debet nocere, qui negligentiae non est reus & operam in re collocauit ac tit. forsan oneroso adquisiuit, eodem a natura iure in rem istam gaudens, ac ille. Cum quis itaque omisso iuris sui vel rei exercitio & negligentia commissa, dum rem tamen vel ius illud fibi in infinitum assertere vellet,

let, ansam praeberet, vt alii, licet non negligentes, onerose adquirere poscent, vel operas in re collocarent, quarum, si vel maxime vindicans pretium refundere vellet, difficultis foret aestimatio & probatio; cum rem illam hominum commercio, nec ipse ea vtens & alios qui vti voluerint impediens, eximeret; cum denique id ipsum medium rem sibi vel ius quodcunque afferendi foret, quod nunquam habuimus vel iam diu rite amisimus, simul ac dominus alia ac per possessionem diuturnam probatione constituantur; cum postremo ius, speciem quandam p[ro]ae se ferens, exceptionibus tamen, diuturnitate temporis propter obliuionem & probationis defectum pereuntibus, facile elidendum, ex dolo vel ignorantia magna profecto specie possit praetendi: non leuis aliorum laesio contra ius nat. suboriretur ex hoc alieno facto, quam tamen dominus re, faltem per alios, vtendo facile euitaret. Quare quicunque rem vel ius retinere cupit, debet ius suum exercere, nec illud conseruaturus per immemoriale tempus potest omittere. Obiter addo, quod ex eadem ratione, vt ceteri habeant acquisitionis notitiam, in occupatione solus animus non sufficiat, sed apprehensione ex iure nat. opus sit. Ceterum negligentia administratorum id ita evenisse, dici semper non potest, cum plures ita peccare raro soleant; & minimum negligentia eorum non debet tertio nocere, ne illi quod forsan ex consensu expresso adquisiuit sub hac specie eripiatur; sed ei potius, quem proxime res respicit, a quo scil. vel a cuius maioribus negligentius sunt constituti.

Neque ad dominorum absentiam prouoces: nonne fieri potuit, vt rem ante vel post illam expresse alienauerint vel ea non amplius indigentes dereliquerint? Sin curatores adhibuerint, eorum culpa tertio obesse non debet: si plane res neglecta, tacitus adest consensus, sibi damnum imputent, Breuibus: Qui sic possidet, est vbiique legitimus dominus, vel ex concessione expressa possidet, vel, si hoc non ita, iuste tamen ob tacitum consensum, qui ob laesionem aliorum euitandam vel necessario adest: & quamvis negligenta aliorum interuenerit, haec auctori potius noceat & ad quem spectat, quam, vt ei, qui vel adeo ius expresso consensu quaesitum habet, vel saltem quomodocunque iuste, priori domino vbiique in culpa versante, detinet, res eo nomine auferatur.

2. Haec praescriptio etiam obtinet in omisso iuris in re aliena vsu, vnde vt illud vel expresse vel tacite sit extinctum sequitur; si talis effectus non produceretur, alii & hic laederentur, v. c. rei dominus, cui forsan expresse remissum, deficiente nunc casu quodam probatione; & non minus qui rem maiori pretio, ob illam omittentis negligentiā iuris istius ignari, compararunt, possunt facile laedi. Idem dicendum de iure ad rem, quod creditor ita non persequitur; ibi etiam consensus expresse vel tacite adest &, vt prae sumptionem debitum extinctum esset taceam, laesio oriri posset, v. g. heredum debtoris, qui ex ad quietentis culpa hereditatem pinguorem putarunt; illorum qui debitum culpa creditoris ignorantes adhuc mutuo obae rato

rato aliquid dederunt: ne iam adductas rationes vrgeam. Si creditor de suo iure dubitauerit, id saltem vrgere debuisset; quo casu consensus tacitus deficeret & neglectus iuris vsus.

3. Sed quodnam est *immemoriale tempus*? Illud arbitror, quod hominum coaeuorum quam de rebus gestis ex propria experientia habent, memoriam superat. Voci hoc ineft, plerumque aliquid, licet ex litteris maiorum constet, immemoriale dicitur; & rei ipsi conuenit, nam hominibus coaeuis declarare ius nostrum tenemur, ne laedantur & taceite nos consentire videamur; quae omnia, exstante etiam ex monumentis rei memoria, locum inueniunt, vt adeo ad illa sola, cum nec in cuiuslibet manu sint contrariaque placita postea forsan interuenerint & exceptions alterius obliuione obruantur, respici hic non debeat; ne de turbis inde oriundis dicam, de quibus ill. a LEYSER Sp. 459. M. 1. qui testes negatiuos non sufficere bene simul monet. Quid vero, si initium possessionis inde constet, e. c. rem depositam fuisse, pignori datam? Quem casum a regula ill. LEYSER excipit. Ego quidem non excipio, eadem eius est ac prioris ratio; nam vbiique ius ipsum adquirendum per tempus immemoriale possedium esse supponitur; et si res antea deposita, oppignorata; nunc tamen ob consensum vel expressum vel tacitum plene adquisita est; ideoque huius praescriptionis adest fundamentum integrum. Si quidem ex re oppignorata fructus solum percepti fuerint, non foret vscupta, quia dominium non quasi possedium est.

Sin

Sin autem successores nexus pignoratitii v. c. ignari effectus dominii nec vi, nec clam, nec precario, rei faciem mutando, rem aliis alienandam offerendo cet. exercebant; per tantum tempus dominium usucaptum procul dubio foret.

4. Ita in hac praescriptione non opus est numero 10. 20. annorum, qualem fateor ius nat. ignorat; nec magis persona iudicis desiderari potest, quam in iure alia ac ob praescriptionem istam ratione competente. Ita quoque corrueret videtur quidquid THOMAS. de regalibus principis in pec. diss. profert; talia enim quorum capaces sunt semper intelliguntur. Princeps eo ipso non tenetur legibus suis, sed iure nat. obligatur & aliorum laesione euitat: non est poena negligentiae, ill. LEYSER Sp. 454. M. 1. sed malum forsan ex negligentia naturaliter proueniens, quod tertius sentire nequit; nisi omnibus notionibus confusis malum quocunque & poenam idem esse putaueris. Nec obstat salus publ. si enim principes regalia expresse aliis toties concedunt, ita ut probatio in promptu sit, quare non attendenda haec praescriptio, expressa vel tacita concessione suffulta, quae posterior sane tam multis pro rebus principis vigilantibus saepe locum non inueniet. Plures principis administratores, si non fuerit concessa, mox animaduertent; & si non fecerint, quare non satis custodiuntur & obseruantur? Quomodo id nocebit aliis iisque sub hoc praetextu iure forsan expresse adquisito priuari poterunt? Idem obtinet in illis, quorum proprietas populo attribuitur; potuit
adef-

adesse necessitas alienandi, & si vel maxime is vel illi qui populum repraesentant vel constituunt tacite permisissent; possessor & tunc iustus est & hoc modo priuari nequit iure quod forsan expresso consensu concessum. Et dissentientes adeo praescriptionem 40. annorum ex iure Rom. in reliquis rebus, vbi utilitas publ. etiam obstat & non minus interdum ac ibi soleat, contra fiscum admittere, valde miror.

8. Quam ob rem immemorialis praescriptio vera non sit, plane nescio; licet expressa adsit concessio, ob illam tamen res iam non retinetur, sed ob possessionem & alterius usum intermissum, vnde concessio expressa vel tacita demonstratur. Ceterum post alios etiam I. W. KIPPING in com. *De vsucap. iur. publ. Helmst.* 1738. ex iure nat. hanc praescriptionem admodum late deducere annis est.

§. XX.

Praescriptio civilis est, quae ex iure ciuili, siue humano, obtinet. Et quidem *vsucapio*, siue longi temporis praecriptio, est illa, in qua supponitur omni modo legitima possessio per 3. annos in mobilibus & per 10. inter praesentes atque 20. inter absentes in immobilibus & iuribus. *Temporalis* est, in qua usus iuris intermissus supponitur per tempus breuius quam 30. annorum, sed aliud ac in usucacione, v. c. biennium. Denique *longissimi temporis*, vbi usus iuris negle&etus per 30. vel plures annos; nempe 40., vel ut in lusu perditis 50. ex l. fin. C. *De aleator.* vel 100.

F

annos

annos supponitur. It. immemorialis; si eo sensu, quia & ex ciuilibus legibus vigorem habet, immemorialem dicas,

§. XXI.

Porro praescriptio commode in *vsucpcionem late & praescriptionem stricte dictam* diuiditur: Illa est *praescriptio*, qua rei alienae dominium alidue ius in re vel ius ad rem, quo alter nobis ad aliquid praestandum tenetur, adquiritur; haec autem *praescriptio*, qua non rem corporalem vel ius in re, vel ius ad rem, sed remotis illis, ius denegandi alteri ius, quod antea competebat, consequimur. Non sufficit definitio, qua per illam ius agendi, per hanc ius excipiendi, adquiri contenditur: re enim *vsucapta* iam possessa, sola *vsucapio* ius agendi non tribuit. Interveniente autem facto & vi *praescriptionis* agendi ius non raro competit, v. c. ne amplius exerceatur priuilegium *prae scriptum*, vel seruitus. Ipsa igitur *praescriptio* stricte dicta non solum excipiendi ius semper suppeditat. Multis autem modis ius quoddam denegandi inde nobis oriri potest, v. g. seruitutem in re nostra antea competentem, vt fiat cum dominio nostro consolidatio; ius retinendi C. vnciales, alteri ex mutuo ideoque in genere debitos, eumque eo nomine agentem repellendi; ius denegandi accusationem criminalem, vt ex illa poena in nos statui nequeat, cet. Quae sola recensio docet, etiam hac *praescriptione* aliquid adquiri. Ius denegandi seruitutem, licet ius ad rem vel nouum

nium ius in re non concedat, nobis est utile & fundum
pretiosiorem reddit; cessante nunc restrictione dominii,
quae vi seruitutis nobis obstabat, ut nunc liberior rei sit
vius; ob conditionem ex mutuo extinctam C. vnciales
v. g. patrimonio adiiciuntur: imo nihil ponas habere praes-
ribentem, nisi debita; non minus tamen ac si eorum
loco C. ab amico quodam essent donati, res familiaris au-
getur & tantum debiti tollitur. Et ius liberationis a poena
vel adeo remissionem mulctae producit, vel, quod maius,
carceris ac poenae corporis afflictuae; ius profecto inae-
stimabile. Quare ad unum quoque omnes illam ad praes-
criptionem in genere, ut acquirendi modum, referunt.
III. L. B. de WOLF in Iur. N. P. III. §. 1021. usucaptionem
Dominii acquisitionem ex derelictione rei praesumta, &
§. 1024. praescriptionem: *Amissionem iuris proprii ex con-
sensu praesumto*, esse dicit. Sed usucapio illa hanc iam
includit, ut utilior antea proposita distinctio videatur.
Nec loquendi usus acquisitionem a praescriptionis notione
remouet. Denominatio ex iure praetorio prodiit, quo qui-
dem solum excipiendi ius hic competebat. Verum ita quo-
que acquisitionis notio non exsulat, & posteaquam Icti de
longi & longissimi temporis praescriptione disserere coepe-
runt; ea notio locum multo magis habet.

§. XXII.

Usucaptionem & praescriptionem in eo quoque differ-
re, quod in hac m. f. consentiente iure canonico non

F 2

atten-

attendatur, bene multi contendunt, quorum sententiam
hic plane praeterire nequeo. *Bona fides* vii in genere
omnem animi integritatem, & *Mala fides* quemuis dolum,
indicat: ita in specie & ratione rei alienae detentae bona
fides est: *Ignorantia id quod animo nobis habendi vere vel*
quasi possidemus, esse alienum quid & mala fides scientia
id quod tanquam nostrum retinemus, nec alteri praestamus,
ei iure perfecto deberi. Ill. LEYSER Spec. 454. M. 7. ad b.
f. etiam refert, si quis consensu domini possidere credat.
Si vero satis constat de consensu ex verbis vel factis; non
amplius adest, deficiente re aliena, b. f. proprie dicta; res
iam plane nostra est ex domini vero consensu; nec magis
adest, si animus rem plane nobis habendi deficeret, vel de
consensu nobis non satis constaret. Itaque cum ius can.
vt rem ipsam attingamus, in c. 5. X. de praescript. sanciat,
vt nulla antiqua dierum possessio iuuet m. f. possessorem; &
in c. vlt. X. eod. *Vt quidquid non est ex fide peccatum*
fit - - unde oporeat praescribentem in nulla temporis par-
te rei alienae scientiam habere: id non possum non nega-
re. Quando enim aliquis mutuum praescribit, in m. f.
constitutus, adquirit ideo quia in facto illico versatur
non solvens quod iure perfecto debebat, sola possessione
retentae rei eum iuuante. Qui casus tamen ad praescri-
ptionem stricte dictam sine dubio pertinet, cum tantum
ius denegandi aliquid adquiratur. Equis hoc adprobari a
iure can. putabit? Num alia adest ac in usucapione rei con-
ditio, qua quid lucrari ob possessionem eum qui in m. f.
est,

est, licet tantum incidente, ex iure can. non posse omnes fatentur? Nec terrent quae opponuntur a b. BOEHMERO in *Iur. eccl. Prot. de praescr.* §. 56. sqq. de suo tantum aliquid deberi! sed ita intellige, vt quod praestatur non amplius debitoris sit, vt iam alteri adquisitum. C. vnciales e. g. e patrimonio debitoris creditori debentur, quos non demum adquirere oportet, per tantundem mutuo datum iam adquisiti sunt: si non solvuntur, aliena res iniuste detinetur, licet non species quaedam; perinde ac si pars hereditatis quota restituenda sit; verum rei alienae usum iniuste habet. *Sic fore ut omnes homines in mala sint fide!* sed tunc solum m. f. occurrit, si iure perfecto aliquid debent idque scientes ac rem pro sua tenentes, vt nihil soluant, nec solutionem promittant. Porro ad §. 57. notes, interpellationem omnino posse m. f. inducere, si quis ob illam iure perfecto debere incipit: nec asseri posse ex iure canon. quod, si non insistatur interpellationi, praescriptio de novo semper currat, nam id ipsum in quaestione est, num m. f. noceat? Nec profecto deest malae fidei indicium cum quis rem alienam sciens iniuste retinet. Et denique ad f. §. 58. quod ius can. hic non dubium sit, sed fatis perspicuum, nec magis rationi aduersum, quam in usu capione; imo, non quare, & ex quoniam vero fundamento, sed num ita statuerit? quaeritur. Ex iure can. omnino ita obtinet; attamen eius placita non necessario nos hic sequi lubens concedo. M. f. vero tunc modo adeat, si quid iam sine accidente re alia alteri iure perfecto debemus, ve-

Iuti ex ipso pacto, si v. c. dies soluendo debito definitus sit
 & ipse interpellat; vel accedente interpellatione, si dies non
 expressus; vel alia eius generis ratione, v. c. ob heredita-
 tem aditam aut retentam. Si quis vero tantum ius aliquid
 adquirendi habet, si velit & rite declaret; non est sane in
 m. f. possessor sciens vel maxime, eo iure alterum gaudere
 e. c. querela nullitatis, inofficiosi, interdicto de glande
 legenda, hereditatis petitione, agendi. Tunc nondum
 aliquid iure perfecto debetur, non iniuste vel morose ali-
 quid vel ius quod nunc iam re vera competit a nobis deti-
 netur: forsitan testatoris voluntatem sequi mauult, vel here-
 dem institutum aliquid lucrari; ipsum forsitan debitum
 nondum liquet, vel de nullitate v. c. testamenti non con-
 stat. Qui ideo casus hic plane non spectant; & m. f. vi
 notionis non potest v. g. in praescribenda accusatione occur-
 rere: non enim vt nos alteri ad accusandum sistamus obli-
 gamur, nondum aliquid praestare tenemur. Nec vt fru-
 etus in fundum nostrum delapsos vltro offeramus, vel vt
 in praescribenda ob solum alterius non usum seruitute alte-
 rum ad exercendam illam prouocemus obstringimur: non
 quod illi perfecte debetur iniuste retinemus ideoque negli-
 gentiae poenam ex iure civ. sentire alterum, cum m. f. ab-
 sit, ius canon. non reprobatur. Deficiente igitur m. f. idea,
 applicari omnino nequit. Vnde tamen in praescriptione
 hac stricte dicta malam fidem nunquam occurtere minime
 colligas, quam generalem regulam ob defectum m. f. in
 criminum praescriptione titus in i. priv. L. II. c. 9. v. 35.
 cum

cum aliis adprobat. Potius, ibi m. f. in nonnullis casibus omnino deprehendi, in aliis vero non facile adesse posse, inde insertur. Dissent. sententiae calculum BERGER. in oec. iur. L. II. T. II. §. 25. n. 4. adiicit, nec ad praescribendas actiones personales ex iure can. & moribus necessariam esse b. f. putat: vnde magistratum ait in oneribus publ. colligendis iusto plus exigentem, licet non ius quidem in posterum tantundem exigendi sine b. f. vsucapiat, iure excipiendi tamen & conditionem indebiti infringendi omnino gaudere. Quanam ratione quaeso iure canon. saluo doceri hoc potest, quod in cit. c. vlt. X. de praescr. praecipit ut praescribens in nulla temporis parte rei alienae scientiam habeat. Nonne res adest aliena? 40. v. c. vniciales iniuste exacti. Nonne ex iure perfecto subditis reddi debebant, competente adeo in foro actione? Et solam possessionem ac temporis lapsum, licet m. f. subsit, & mora atque iniusta detentio medium foret acquisitionis, ex hoc iure sufficere tibi persuadeas?

§. XXIII.

1. Ultimo loco inuestigemus: Num hereditas, bonorum possesso, fideicommissum, legatum, aliaque negotia, quorum HEINECC. ad I. §. 436. cum alliis meminit, inter adquirendi modos locum sibi vindicent?

2. *Hereditas* quidem, vel potius *ius hereditarium*, titulum continet, non modum. Modo tamen ad hereditatem

re-

revera adquirendam, si heredes suos exceperis, ipso iure illam adquirentes, §. 2. *I. de her. qual.* Et diff. omnino est opus, nempe vel declaracione expressa de delata hereditate adquirenda, **ADITIONE** in specie sic dicta, vel factis data, s. **GESTIONE PRO HEREDE**, l. 151. ff. de V. S. nec sufficit consensus non declaratus. Si vero imperator hereditatem adpellare *Modum* videtur, improprie loquitur, tractandi ordinem & vias adquirendi solum demonstraturus. §. vlt. *I. de usu* Et *hab.* §. 6. *I. Per quas pers. nob. adqu.* Hinc priori loco connectit cum *usufructu*, *usu* & *habitatione*; & cum titulus omnino medium sit adquisitio-
nis, sine quo nunquam peragitur; verum denominationis sensum inde facile colligas.

§. XXIV.

Bonorum possessio est titulus, & in iure hereditario ex praetorio editio competente consistit. Modum vero requirit, scil. **AGNITIONEM**, sive declaracionem quamlibet vel petitionem, coram iudice de hereditate iure praetorio adquirenda nunc intra annum, nunc intra 100. dies, proponendam. Leges enim volunt, ut *intra legitimum illud tempus* petatur, §. 5. *I. de bon. poss.* vtque si unus admiserit, ceteri non, vel quia spreuuerunt, vel tempus elapsum, vel mortui antequam petierunt; ei qui admisit accrescant hae por-
tiones, quae ceteris competenterent, si petiissent bonorum pos-
sessionem, l. 3. §. 9. l. 4. l. 5. ff eod. cf. l. vn. C. *Quando*
non

non pet. partes, vt alias taceam. Et iudiciale agnitionem requiri, ipsa docet huius remedii origo, cum initio praetor se diceret hereditatis possessionem, non ius quod-dam, dare, vt tamen, donec tertius ius possessoris iure melius demonstrauerit, vel prae scriptio sit completa, omnino illam defenderet. Itaque quemlibet implorare praetorem oportebat, vt in talem possessionem illum mitteret; satis evidens est §. 2. I. de B. P. Et licet imperatores, ne quis pro ea petenda curet prospicientes, voluerint, vt quis quo cunque modo admittentis iudicium ostenderit, plenum habeat eius efflum, §. 7. I. eod. hoc tamen ita intelligas, vt quaelibet testatio apud quemlibet indicem sufficiat, l. 9. C. qui adm. ad B. P. Quotiescumque igitur per leges competit & legitime agnoscitur, ipsae leges nouiores iam illam concedunt, vt ista agnitio magis, quam iudicis declaratio, modum constituat, c. l. 7. & 9. Vnde si quis eo animo testamentum falsum accusauerit, vt ius suum petendae possessionis conseruet, agnouisse B. P. licet non petierit, censemur, l. 14. ff. de B. P. Hinc & hodie sufficere non immerito putant, si quis aetum iudiciale, animum consequendae possessio-nis declarantem, suscepit. Eorum qui impediuntur nomine petunt alii, v. c. tutores pro pupillis; imo iudex com-petens postulanti impuberi B. P. dare potest l. 7. C. Qui adm. ad P. B.

§. XXV.

I. *Fideicommissum uniuersale* proprio loquendo tan-tum est titulus, non modus; modus autem requiritur,

G

nempe

nempe RESTITUTIO. Nam per illam demum hereditas a fideicommissario recipitur, l. 44. pr. ff. ad Sct. Treb. & demum illa facta, omnes res statim in bonis sunt eius, cui restituta est hereditas, l. 63. pr. eod. Et fideicommissaria hereditatis petitor iis competit, quibus restituta est hereditas quique restitutam suscepereunt, l. 1. ff. de fid. hered. pet. Quare & fructus ante restitutionem, si rite fiat, plerumque non adquirit, de qua re statim plura: Quae restitutio est actus, quo heres fiduciarius declarat animum hereditatis vel eius partis quotae transferendae in fideicommissarium suscipiendae eius animum habentem; ita ut vel verbis fiat, vel factis, l. 37. pr. ff. ad Sct. Treb. nec semper possessionem tribuat, l. 63. pr. eod. Iure tamen nouo fideicommissarius iure cogendi heredem ad restitutionem gaudet, v. §. 1. § 12. I. de fideic. hered. § tot. tit. ff. ad Sct. Treb. Ad conseruandum etiam & transferendum ad heredes titulum fideicommissi iusque cogendi ad restitutionem heredem nihil fideicommissario, nisi ut dies ipso viuo cesserit, opus est, l. 46. ff. eod.

2. Quod ad doctrinam de fructibus, quorum mentionem feci, clarius perspiciemus attinet, leges illos non hereditati, sed ipsis rebus, accepto ferantur volunt, l. 18. §. 2. ff. eod. & in genere, ut non nisi ex mora, l. 18. pr. l. 44. §. 1. ff. eod. vel si ea de re specialiter rogatus sit heres, restituantur, l. c. 18. pr. Porro, ante diem vel condicionem existentem percepti penes heredem manent, in Trebellianicam tamen imputandi; fructus vero post diem veniam-

nientem, fideicommissario restitutionem non petente, percepti, quippe sola eius adquisiti negligentia, heredi ita cedunt, ut nec quartam minuant, l. 22. §. 2. ff. eod. STRVV. quidem in Ipr. Rom. Germ. L. II. T. XXVI, §. 6. TITIVS l. c. L. VII. c. 6. §. 9. cum aliis dissentientes fructus ante aditam hereditatem perceptos fideicommissario absolute attribuunt, ob. l. 27. §. 1. ff. ad SSt. Treb. Sed cum in genere ius nostrum fructuum restitutionem tunc solum iniungat heredi, si mora intercesserit vel in specie fit rogatus, l. c. 18. pr. & l. 44. §. 1. ff. eod. cumque fructus ante exsistentem diem & conditionem collecti Falcidiam, i. e. Trebellianicam, submoueant ideoque heredis sint, l. c. 22. §. 2. cum porro hereditatem restituere rogatus fructus restituere non teneatur, quia non hereditati, sed ipsis rebus accepto feruntur, l. c. 18. §. 2. ff. ad SSt. Treb. cum denique l. c. 27. §. 1. eod. expresse heredem, *qui coactus adiit, qui suscep-ctam hereditatem dixit*, adeoque casum specialem supponat, a quo non valet conclusio generalis: haec sententia adprobari nequit. Nec ratio ENGELBRECHTII ad D. L. XXXVI. T. I. §. 2. de fructibus post aditionem perceptis retinendis: Quod fiduciarius heres hereditatis dominus sit, diuersam conditionem ostendit: fructus enim hereditati accepto non feruntur, l. c. 18. §. 2. Et si ferrentur, etiam post aditionem percepti restitui deberent, si ante aditionem percepti restituendi essent. Hac enim facta, quidquid adfuit, accepit. Ratio autem legis & distinctio inter fructus alias que res ante & post hereditatem aditam perceptas sine dubio

G 2

huc

huc respicit, vt heres fiduciarius aditionem, licet a legibus
 iniunctam, male donec adigatur differens, commodis he-
 reditarii indignus sit; post aditionem vero, moram eius
 purgantem, ea consequi possit. Et heredem, qui coactus
 adiit, commodis priuari, inter omnes constat. Nouum
 vero suboriri dubium videtur, dum ab omnibus commodis
 leges illum excludunt, l. 27. §. 2. l. 14. §. 4. eod. vt nec
 poenitendo quartam retineat, l. c. 14. §. 3. Sed notandum,
 l. 14. §. 4. modo de ceteris praeter quartam commodis lo-
 qui, qualia omnino praeter fructus adsunt, quibus priuau-
 tur, & l. 27. §. 2. solum commodorum ex testamento
 mentionem facit, i. e. ex dispositione testatoris expressa,
 quo etiam exemplum ibi de substitutione propositum per-
 tinet; cui addas amissionem praelegati ex §. 14. l. c. 27.
 Et oportere illam restrictionem addi, vel inde adparet,
 quod immediate ante §. 2. restrictio in §. 1. l. c. 27. ab eodem
 I^oCto Iuliano proposita legatur. Nec omnium absolute com-
 modorum incapacem esse, statuendum omnino est; l.
 enim 16. §. 9. eod. docet, inter plures fideicommissarios si
 vnum heredem solus adigat, reliquos detractionem quartae
 in sua portione permittere debere, heredemque nisi cogens
 restitutionem totius vrgeat, ea gaudere. Dis^s. quoque
 LAVTERBACH in coll. th. pract. L. XXXVI. T. I. §. 16.
 & praeterea ad l. 3. C. ad SCt. Treb. l. 20. §. 3. ff. de her.
 pet. & l. 42. ff. de usur. & fruct. prouocat. Verum in l. 3.
 solum de fructibus ipsius quartae sermo est, qui sine dubio
 penes heredem manent; & de fructibus rerum restituuen-
 darum

darum quaeritur. L. 20. §. 3. de hereditatis petitione agit, quae non est cum fideicommissaria eadem; cum fiduciarius de quo non rogatus est non restituat, l. 18. pr. & l. 63. §. 4. ff. ad Sct. Treb. Imo in ipsa l. c. de fructibus ante & post additionem perceptis idem sancitur, &, nec post additionem perceptos restitui, ibi dicitur, si ex ipsa sint hereditate: secus, si magis personam respiciant, v. g. lucrum ex pecunia hereditaria per lottariam acquisitum. Ideoque nihil probat; nec magis l. 42. c. cum fructus ex fundo, qui fideicommissarii iam sunt, percepti, ut pendentes & fundi pars, ei tanquam domino sine dubio acquisiti sunt.

§. XXVI.

Legatorum & fideicommissorum singularium, quae illis exaequata sunt, alia est ratio, titulum continent, non modum, & ipso iure adquiruntur, & quidem, si & ad heredes transire possunt, pure relicta statim a morte testatoris, conditionata exsistente conditione; antequam titulus non adest. Hinc l. 64. ff. de furris: Ea quae legantur recta via ab eo qui legavit ad eum cui legata sunt transire docet, & recta via dominium transire, ex l. 80. ff. de legat. & fideic. 2. adparet v. l. 5. §. 1. 2. & l. 21. ff. Quando dies leg. v. fid. ced. Si non ad heredes transmittuntur, v. g. legatum ususfructus; pure relieti dies ab adita hereditate demum cedit, l. vn. §. 2. Quando dies ususfr. quia prius solum in here-

G 3

opus;

dum fauorem introductum est. Nullo itaque modo est opus; nuda mortis disponentis, vel interdum simul aditionis, exsistentia, si pura est dispositio, sufficit.

§. XXVII.

Mortis causa donatio non minus titulum continet, neque indiget vlo modo; nam statim testatore mortuo prout legata capiuntur mortis causa donationes, *I. 31. pr. ff. de m. c. don. cf. I. 2. ff. de Publ. in rem act. & §. 1. I. de donat.*

§. XXVIII.

In acquisitione *usufructus* & *iuris succeedendi* patriaeque potestatis per *arrogationem*, haec etiam titulus est, qui hic in consensu consistit. Si modus dici videtur, *adquisitio* in genere intelligitur, neque vlla alia re vt modo est opus. Quando enim quis se in arrogationem dedit, iam fit *adquisitio*, *§. 1. 2. I. de adquis. per arrog.* Ea ipsa autem tantum verum consensum infert iura ista in alterum transferendi, alterius nomine saltem datum ab eo qui potest; modus non occurrit, perinde ac in inita communitate, illa praesertim, quae vi matrimonii contracti obtinet. Consensus requiritur arrogatione datus, & vt *adquirendi* animus in arrogante accedat, quae omnia ad titulum spe-

spectant. Nec ibi titulus & modus simul oriuntur, vt
forsan ille a legibus factus hoc emergente statim subesset:
verus domini consensus supponitur, eo arrogatione concep-
so neque traditione, neque modo alio, opus est.

§. XXIX.

In adquisitione bonorum libertatis seruandae causa,
in sectione bonorum & ex Claudiano S^To Addictio vtique
modus fuit adquirendi. In priori antea cognoscebat praetor,
num omnia sic comparata essent, num fiscus ipse ad-
quirere nollet bona? Et tunc eius addictione subsecuta ex ti-
tulo illo libertatis seruandae legibus adprobato bona demum
adquirebantur. Neque in sectione ante additionem publi-
cam bona cedebant. Nec denique ex S^To Claudiano ante ad-
ditionem praetoris, licet iam antea delictum perpetratum,
titulum praebens, mulierem eiusque bona serui dominus
lucrabatur; quae omnia ex Inst. constant. Addictio vel
adiudicatio a iudice facta non titulus est, sed modus ad in-
star traditionis & titulum supponit. Commissa vero hodie
fisco statim cedunt delicto perpetrato, quod ipsum bona
sibi asserendi ius titulumque fisco praebet, nec aliud
quidquam requiritur. *Quod commissum est statim definit
eius esse, qui crimen contraxit, dominiumque rei vestigialis
adquiritur, l. 14. ff. de donato.*

§. XXX.

§. XXX.

Itaque hic & in aliis casibus, vt hypothecae & negatiuae seruitutis pacto constitutae, de quorum nonnullis paulo ante dictum, quosque leges suppeditant, ius in re ex solo titulo sine modo accidente transfertur ex speciali legis dispositione, a communi & ordinaria regula recedente: semper ibi lex, quae ipsa modum ex regula requirit, modum supplere remittendo videtur. Haec, vulgaribus, vbi ordo & perspicuitas sermonis attingere non suavit, merito postpositis, ne nimis sit longa fabula in praesenti sufficient.



Ke 3424

X 2344785

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

Farbkarte #13

DISSE^RTATI^O EPISTOLICA
DE
TITVLIS
ET ADQVIRENDI MODIS
QVA
VIRO CONSULTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO
IOANNI HENRICO
ALTERMANN
CANCELLARIAE ET CVRIA^E GVELPHERBYTANA^E SECRETARIO
HVIVSQVE CONSULI
PATRI VENERANDO
DIEM NATALEM
SEPTVAGESIMVM NONVM

GRATVLATVR

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS
IOANNES AVGUSTVS ALTERMANN.

HELMSTADII
TYPIS DRIMBORNIANIS MDCCCL.

Re 3424

